

Ad primum *Affirmative*.

Ad secundum *Negative*.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 21 Aprilis 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

PH. GIUSTINI, *Secret.*

Alumni Societatis Missionariorum a S. Ioseph tenentur celebrare sub ritu duplici 2. Classis Officium et Missam S. Thuribii Archiep. Limani.

Hodiernus redactor Calendarii Officii Divini pro alumnis Societatis Missionariorum a S. Ioseph, sequentis dubii solutionem a Sacrorum Rituum Congregatione humillime expostulavit, nimirum:

Ex Decreto S. C. pro Neg. Eccl. Extr. die 1 Ianuarii 1900 extensa fuere ad totam Americanam Latinam Officium et Missa propria S. Thuribii Archiepiscopi Limani sub ritu duplici 2ae. classis, hinc dubium oritur, utrum alumni dictae Societatis, qui ex maxima parte distributi sunt in America Latina, utpote ad regiones latino-americanas praecipue destinati, tali decreto obligentur, an potius stare debeant proprio Calendario a S. Sede approbato, in quo S. Thuribius rito duplici minori recencetur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis, respondendum censuit:

*In casu, affirmative ad primam partem et negative ad secundam.*» Atque ita rescripsit die 8 Maii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. † S.

† DIOMEDES PANICI, Arch. Laodicen., S. R. C. *Secret.*